



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

DE divina contemplatione, maxime de infusa (materia sane non minus sublimi & obscura, quam utili & necessaria) DEO favente dicturus, operæ pretium duxi, prætermissis multorum Mystlicorum symbolicis ac implicitis loquendi modis, sanctorum & gravissimorum Patrum, probatorumq; Scholasticæ Theologiæ Doctorum, præcipue verò divi Thomæ, divi Bonaventuræ, ac aliorum vestigiis inhaerere, & prout DEVS dederit, universam hanc tractationem ad Theologiæ Scholasticæ fontes communemque doctrinam reducere.

Vt autem Lectori majorem lucem adferamus, quadam ex iis, quæ infra latius describuntur, breviter hic præmittimus; quibus velut in imagine totam Operi præsentiam materiam adumbremus.

SERIES TOTIVS OPERIS.

QUO major in hoc opere servetur claritas atque distinctio, illud in sex partes seu Libros dividimus. In primo, de contemplatione in genere, deinde tam de acquisita quam infusa; de illa quidem breviter, de hac verò (quia præcipuus intentionis nostræ scopus est) plenius disserimus. Harum denique contemplationum distinctionem, objectum, finem & effectus, nec non media, quæ ad infusam perducunt, uberius explicamus.

In secundo, tertio, quarto, & quinto Libro, de variis infusæ contemplationis gradibus sermonem instituumus. Poco autem gradus, omnes illas differentias, quæ contingere possunt in puris contemplantium mentibus, secundum clariorem & sublimiorem, vel minus clarum sublimemve divinorum intuitum, in quantum scilicet eorum mens à nobilitari principio, hoc est ab eminentiori Spiritus sancti dono, vel ab ejusdem doni excellentiori gradu seu lumine illustrata, ad superna elevatur.

Hos autem gradus, maioris perspicuitatis gratiâ, in tres hierarchias (ad instar Angelicarum) convenienter distinximus. In illo enim caelesti Angelorum cœtus tres hierarchias magnus Dionysius cap. 6, de caelesti Hierar. à B. Paulo Apostolo edoctus; constituit, (supremam nempe, mediam, & infimam: quas in eodem Libro distinguit secundum varios modos suscipiendi divinas illuminationes ac revelationes. Distinguntur præterea per diversum modum attendendi ad hominum salutem: omnes namque sunt administratorij spiritus, ut ait Apostolus ad Hebr. I. Ea tamen distinctio, quæ ex divina illuminatione magis minúsve plena attenditur, præcipua est; nam secunda, quæ ex variorum hominum administratione desumitur, evacuabitur in die iudicij, quando venerit quod perfectum est, cumq; peracto iudicio reddita fuerit justis omnibus gloria, tam animæ quam corporis.

Rursus, in unaquaque Hierarchia tres choros, seu ordines Angelorum idem Dionysius distinxit, supremum, medium, & infimum; qui loco citato affirmat, præceptorem suum Paulum Angelos in ternas Hierarchias tertio repetitas ad sanctissimam Trinitatis imaginem distinxisse. Quare secundum communem Patrum & Doctorum sententiam novem sunt Angelorum ordines, seu chori, & tres Hierarchia.

Similes autem hierarchias & gradus idem Dionysius lib. De caelesti hierarch. citato, non solum in mente Angelica, sed etiam humana bene ordinata distingui debere tradidit; ut ferè omnes ejus Commentatores, præcipue Hugo Victorinus, Abbas Vercellensis, & Liutconensis, exponunt; quos refert & sequitur D. Bonaventura de septem itineribus æternitatis, lincere 3, dist. 4, art. 1. qui inter prædictas hierarchias, earumq; gradus nescio quam distinctionem obscuram satù (maximè Vercellensis) excogitarunt. Quare illa prætermissa, utpote minus apta, minusque ad propositum nostrum conducente, nos earundem hierarchiarum, novemq; graduum distinctionem, tam ex parte subiecti, quam ex pleniori divini luminis susceptione, ad instar Angelicarum sumendam esse, latius infra edocebimus. Interim tamen aliqua ex inferius dicendis summatis hic præmittimus.

In primis sicut tres illa caelestes hierarchiae (ut auctor est S. Thomas 1. p. quaest. 180. art. 1.) non equaliter superius ad influxum excipiunt, sed per abundantiam divini luminis participationem distinguuntur; ita non incongrue in mente humanae tres illa hierarchiae, quae Angelicus familes constitutumus, ex majori aut minori luminis divini susceptione discerni debent; ac in unaquaque harum (ut caelestibus illis plane assimilantur) tres quoque gradus sive gradus, videlicet infimus, medius, & supremus constituentur sunt.

Residentem autem hierarchia ista in tribus anima potentibus, tamquam in triplici anima caelo, ut pulchre Richardus lib. 3. De contempl. cap. 8. in hoc sane (inquit) profundo (nempe anima) invenies multa stupenda & admiratione digna. Ibi invenire licet alium quemdam orbem, latum quidem & amplum, & aliam quamdam plenitudinem orbis terrarum. Ibi sua quaedam terra suam habet caelum; nec unum tantum, sed secundum post primum, & tertium post primum & secundum. Et ut hoc triplex caelum congrua possimus distinctione discernere; primum dicatur imaginale, secundum rationale, tertium intellectuale. Tenet itaque imaginatio vicem primi caeli, ratio secundum, intelligentia vero vicem tertii. & infra; in primo itaque caelo continentur omnium visibilium imagines & similitudines: ad secundum vero pertinent omnium visibilium rationes, definitiones, & invisibilium investigationes: ad tertium autem spectant spiritualium ipsorum, etiam divinorum, comprehensiones & contemplationes haec Richardus.

In his igitur tribus caelis, qui in interiori anima sinus latent (quorum etiam ante Richardum meminit S. Augustinus lib. 12. de Genesi ad litteram) tres contemplantium hierarchia statuantur; ita ut qualibet in proprio caelo tamquam nativo loco residens, secundum plenitorem minusve plenam Spiritus sancti illustrationem, magis quoque minusve perfecte in DEO sita contemplationis obtutus.

Quare tam ex parte subiecti, quam ex parte principij, divinitus mentem illustrantis, pensanda erit major minorve divinae contemplationis nobilitas. Nam ea, quae in imaginatione, tamquam infimo anima caelo locum habet, inferior est illi, quae in secundo residet; & quae in tertio est, nobilitate ac perfectione reliquis longe transcendit.

Nec solum si tres istae hierarchiae inter se comparentur, ex majori aut minori luminis perfectione distinguuntur; sed etiam in qualibet earum tres gradus majoris minorisve infusi ac perfecti luminis invenies. Quod ut plenius intelligi possit, supponendum est ex his, quae inferius latius dicemus, in donis Spiritus sancti, praeicipue sapientia & intellectus, tres inveniri eiusdem Spiritus sancti operationum gradus. Primus seu infimus est quando operatio illius doni principaliter media imaginatione contingit. Secundus & medius, cum doni operatio in ratione sive intellectu recipitur. Tertius & supremus, quando suprema hominis intelligentia, sive mentis apex mirè illustratur. Quae omnia sequenti exemplo fient clariora. Sicut enim claritas solis tribus modis à nobis percipitur; primo in objecto materiali opaco, verbi gratia, in pariete vel ligno, quae est velut infima solaris luminis participatio; secundò in radiis ipsis per aërem, aliudve aëreanum corpus diffusis, qui est quasi gradus medius; tertio in scissa, id est in globo vel rota solari, ubi supremus solis ipsius fulgor resplendet: sic divina lucis radij, mediantibus donorum habitibus, triplici (ut innuimus) differentià prioribus iustorum mentibus manifestantur.

Explicemus ergo breviter tres istos cuiuslibet hierarchiae gradus. In prima, quae in imaginatione tamquam infimo caelo potissimum residet, relucet primus doni intellectus radiis, quo imaginatio (non tamen sine consortio intellectus) tacta, ex corporalibus istis, quae sensu percipiuntur, nempe ex visibilibus creaturis, ad ea, quae in DEO sunt invisibilia gradum facit. Haec autem hierarchia (sicut supra de omnibus in genere indicavimus) tribus veluti gradibus continetur. Primus seu infimus ex mundi huius visibilibus contemplatione; secundus seu medius ex sacrarum Scripturarum mira penetratione; tertius & supremus ex Verbi incarnati cognitione ad incomprehensibilis Deitatis perfectiones contemplandas ascendit. Hoc primum hierarchiae contemplationis genus, viam purgativam supernaturalem ingredientibus liber aliter quandoque à DEO communicari solet.

Secunda vero hierarchia (sedem habens in secundo anima caelo, nempe intellectu, quae viri contemplativi doni intellectus radiis illustrati DEO in intellectualibus objectis inveniuntur) triplici etiam gradu constat. Primus speculatione sui, id est, cognitione animae nostrae (quae DEI imago merito censetur) ad ipsius DEI contemplationem assurgit. Secundus divina unitatis & creatricis essentiae perfectiones & ineffabilia attributa speculatur. Tertius & supremus beatissime Trinitatis contemplatione jucundatur.

Tertia tandem contemplationis hierarchia, quae ceteras, quantum ad contemplandi modum, dignitate excedit, utpote, quae modum cognoscendi alius hierarchiae communem, quo per affirmationem in DEO tenditur, exsuperans, divinam ingreditur caliginem, ac DEO ipsum per viam negationis purius cognoscit: haec, inquam, hierarchia, quae in tertio anima caelo collocatur, tribus quoque per se igitur gradibus. Primus sive infimus, eorum est, qui sapientia dono mirabiliter affecti, pura contemplationi insistant, eam autem contemplationem puram voco, quae ferè nulla phantasmatum admixtione obscuratur, secundus vero gra-

duus,

aus, ac precedenti superior, contingit, quando lumine divino puris animabus clarius affulgent, mens ipsa in dulcissima, nobis vero ignota & inaccessibilis divina claritate calcitrans ingreditur, atque in illa sub dilecti sui umbra obdormiens, in pace dulciter requiescit, et anhelata à rerum tumultu ad gaudia interni ac califormis silentij. In tertio deum & supremo mens contemplatrix immensa DEI benignitate preuenta, deo ipso potentia intellectiva & affectiva optem immediate tangente & inflammante, tam valide ad divina evocatur, ut instantanee defluat & deficiat à seipsa, supra se, se mirabiliter rapiatur, ac DEO ipsi, immediato & ineffabili nexu coniungatur. In qua unione summa vita huius seclis eas consistit, in eaq; mysticam Theologiam, seu experimentalem DEI perceptionem sitam esse, Dionysius docuit, & nos infra L. bro 5. explicabimus.

Sunt igitur tres in humana mente hierarchie, quarum qualibet tres alios gradus continet, ex quibus quasi novem ordines, Angelicus similes resultant. Prima hierarchia ad incipientes, seu viam purgativam: secunda ad proficientes, seu illuminativam; tertia ad perfectos, hoc est, ad unitivam spectat.

Verum quia clementissimus DEVS iustorum mentes immediate, & sine habituum donorum adminiculo, non raro illustrat, atque irradiat, velut in Prophetis contingere solet, tunc operatio illa, siue divinum intuitu, altior & eminentior est eâ, quæ à Spiritu sancto, mediante donorum cooperatione procedit, reduciq; solet ad aliquod genus gratiarum, quæ gratis datæ à Theologis nuncupantur. De hoc perfectissimo contemplationis genere, quod sanctioribus ac purioribus mentibus quandoque conceditur, Libro 6. & ultimo abrius disputamus. Nec desunt in sublimiori hac theoria, diversi perfectionis gradus: inveniuntur enim quatuor. Primus est, quando infundit DEVS lumen supernaturale intelligibile, nullas species de novo immittendo, neque divinitus præexistentes ordinando; & hoc est contemplari divina per inspirationem internam, siue per lumen infusum ad modum actus. Secundus gradus tunc contingit, quando præter lumen siue inspirationem internam, imaginabiles species præexistentes, tantum de novo, divinitus ordinantur. Tertius, cum lumini & interne inspirationi novarum specierum, siue similitudinum imaginabilium accedit impressio. Quartus & ultimus, quando non solum lumen istud internum, sed etiam species intelligibiles (quæ imaginabilibus nobiliores sunt) de novo infundantur. De quibus gradibus latior Libro 6. citato reabit sermo.

Interim tamen pium deprecor Lectorem, ne tanti argumenti sublimitate, aut difficultate perterritus, ab huius Operis lectione arceatur: nam quamvis in ea non pauca, quæ communem hominum captum plane excedunt, reperiantur, utpote quæ non nisi defacatu mentibus pervia; sunt tamen quamplurima etiam ab incipientibus non aliena: his enim, etsi non tam plena divini Spiritus illustratio, sicut istis, quæ Spiritu DEI aguntur, affulgent, non tamen idcirco deterrendi sunt ab huius Operis lectione. Nam divina adspirante gratia facile possunt ex visibilibus creaturis ad Creatoris meditationem, seu aliqualem contemplationem suis gradibus conscendere, nec solum è visibilibus creaturis fas est unicuique ad DEI invisibilis cognitionem assurgere, sed & omnibus Christianis Fidei lumine illustratis, ad innumerabiles ipsius DEI perfectiones & infinita attributa, imò profundissima ineffabilis & beatissima Trinitatis mysteria speculanda, ac suo modo Fidei oculis intuentia, aditus patet. Concerit igitur omnes præsens nostræ tractationis materia, maxime tamen ea, quæ prioribus quatuor Libris continetur.

Plura forsitan alia ad pleniorum huius de divina contemplatione argumenti cognitionem desiderari possent, sed de his in Libro de oratione infusa, quem in lucem edere propediem meditatur, auxiliante DEO uberius disseremus.

Quæ universa non tantum S. R. Ecclesie auctoritati, sed etiam peritiorum iudicio libenter submittimus. Utinam omnia in DEI gloriam & spirituales animarum profectum cedant.